



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Ereptione, Qualitatibvs Ad Ea Obtinenda Requisitis ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

370. An jure quoque divino, & humano residere teneantur ii, quibus cura animarum non nisi latiùs talis, seu exterior tantùm incumbit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74477)

¶. 2. c. 6. num. 3. Barb. de Paroch. p. 2. c. 18. nu. 39. citans Sayr. in floribus decisionum *decis. 18. de Cler. non resid.* eò quòd consuetudo æquipolleat privilegio, ita ut quidquid induci potest privilegio, etiam induci possit per consuetudinem, juxta *c. super quibusdam. de verb. significat. & l. hoc jure. ff. de aqua quod. & estiva.* per privilegium autem Papa induci possit, ut Rector parochialis non teneatur exercere curam per se ipsum, sed per alium, sicut de facto de jure communi statutum est, ut id fiat per Vicarios perpetuos. Unde licet curatus obligetur præcepto divino, ut exerceat curam pastorem per se ipsum, si salus animarum id exigat, ita ut per alium exerceri, sine gravi damno earum nequeat, adeoque non possit in eo casu per ullam consuetudinem induci, ut Pastor per alium exerceat curam, si tamen æque bene provideri possit saluti animarum per alium, potest absque violatione præcepti divini officium pastorale exerceri per alium; limititer licet in Pastore electa sit opera & industria personæ; id tamen intelligendum, ut nequeat sine causa gravi uti operâ alterius, seu alium substituere, ita ferè Pirh. dum tamen Pastor beneficium parochiale altero substituto retinet, licet corpore absens sit, animo tamen & providentiâ præsentem esse debere, ut nihil necessarii ad salutem ovibus suis desit, rectè monet Barb. *loc. cit. c. 17. num. 14.* ex Chapiavil. *de modo administrandi sacramentum tempore pestis. c. 1. q. 4.*

Quæstio 369. An, & qualiter Pontifex possit dispensare in hac lege residendi quoad Curatos?

Respondeo primò: posse in hoc justis ex causis dispensare Pontificem, faciendo iis potestatem non residendi; nam etiam exfolutio voti, servatio jurisjurandi, est juris divini. Azor. *loc. cit. q. 1. Soto loc. cit. q. 3. n. 4.* quamvis hæc non sit propriè dispensatio, sed potius interpretatio, quâ declaratur legem divinam hic & nunc per se ipsam cessare. Pirh. *n. 42.* ex Suar. *de l. l. 10. c. 6. n. 7. & seq.*

2. Respondeo secundò: non aliter hoc jus divinum est dispensabile, quam ex suppositione causæ, nempe majoris utilitatis Ecclesiæ, non tam per relaxationem, quam interpretationem, seu per materiæ mutationem. Lott. *n. 40.* Soto & Azor. *ll. cit.* Unde non potest Papa prohibitu suo hujus legis rigorem in gratiam alicujus laxare (uti id potest saltem validè, ubi onus residendi est ex solo jure humano, puta Canonico communi, vel ex speciali statuto, vel ex mente fundatoris, uti contingit in beneficiis aliquibus simplicibus) ita ut ubi hanc facultatem non residendi concederet sine justa causâ, non solum peccaret, sed & potestas data nullius esset valoris in conscientia, et si in foro judiciali vim habeat. Azor. *ibid.*

Quæstio 370. Num jure quoque divino & humano ad residendum personaliter teneantur ii, quibus cura animarum non nisi latius talis, seu exterior tantum incumbit, dum nimirum citra administrationem sacramentorum ex officio possunt visitare, corrigere, censuras excommunicationis, suspensionis, interdicti &c. infligere?

Respondet probabiliter affirmativè Azor. *loc. cit. q. 2.* & hunc secutus Filliuc. *cit. c. 6. nu. 27.*

& quidquid sit de Conc. Tridentino; decreto illius hocce Curatos censet Azor non comprehendendi & alstringi ad residendum; comprehenduntur nihilominus constitutione Pii IV. edita de residentia Pastorum. Azor. & Filliuc. *ll. cit.*

Quæstio 371. Qualiter residere teneantur propriè & strictè curati?

Respondeo primò: si quæritur de loco, Parochi Vicariique curati, ut dictum supra, intra ipsius parochiæ limites in loco commodo omnibusque opportuno habitare debent, ita ut etiam in casibus repentinis aedes possint suis, & hi illos convenire commode, qualis ferè est domus prope Ecclesiam; imò in domo Parocho destinata, si adsit, quia hæc præsumitur talis C. de Luc. ad Trid. *d. 4. n. 11.* Lott. *cit. q. 27. num. 39.* Addit tamen C. de Luc. quòd hæc generalis regula pro facti qualitate apta sit recipere limitationem ex Episcopi arbitrio, quòd autem justâ causâ sit regulandum. Sic si Ecclesia habeat quidem domum pastorem, parochus tamen, ea relicta, in paterna vel cognatorum degat intra fines parochiæ propter honesta servitia, & sui majus commodum, scilicet & tacente Episcopo, tutus erit in conscientia, prout etiam permittens, modò administrationi sacramentorum, & ceteris cura indigentis præsto esse possit æquè bene, ac si in parochiali domo habitaret. Paxjord. *loc. cit. n. 56.* citans Possévin. *de off. curati c. 1. n. 17.* & Barb. *cit. c. 8. num. 39.* Quòd si autem degeret Parochus in civitate distante à parochia tribus aut quatuor milliaribus (puta italicis) non posse haberi pro residente, etiam si festivis diebus ad illam accedat, censet idem Paxjord. *n. 57.* juxta declarationem S. Congreg. apud Garc. *n. 179.* & Barb. *loc. cit.* imò etsi longè minor foret distantia, dum residet in urbe, quæ nocte claudi solet. Paxjord. *ibidem.* ex tuo. Vide dicta sub initium *hujus cap. de parochis.*

2. Respondeo secundò: si quæritur de tempore, quando nimirum, quantòque tempore abesse possint; non ita vi dicti præcepti divini arctari hos curatos ad residendum continè, quin non quandoque ex justa causa ad breve tempus abesse possint. Hoc ipsum tempus breve citra violationem dicti juris divini determinat jus humanum, nempe Trident. potissimum. *cit. c. 1. sess. 23.* indulgendo Episcopis per trimestre (modò præsentibus sint in suis Ecclesiis tempore Adventus, Nativitatis domini, Quadragesimæ, Paschæ, Pentecostes, & corporis Christi) Parochis verò, ut per bimestre, sive continuè, sive interruptè ex justa causâ abesse possint, modò id fiat sine ullo gregis detrimento. De cetero etsi residentiam parochi necesse non sit esse ita continuam, ut quasi hærens in compedibus fines parochiæ exire nequeat, sed si careat infirmis cum periculo, possit abesse per horas aliquot, etiam nullo alio substituto, vel etiam integram diem; putat tamen Paxjord. *n. 59.* probabiliter esse mortale, abesse per duos vel tres dies, nullo infirmante, & nulla alia causâ justificante, ubi in propinquo non sunt alii sacerdotes. Verùm in hoc puncto multum tribuendum locorum consuetudini monet Engels *ad tit. de cler. non resid. n. 7.* & AA. passim, qui etiam *n. 13.* ait, ut ex consuetudine licitum sit parochis una alterave hæbitomade ex rationabili causâ, substituto idoneo Vicario, ubi non adest periculum damnificandi gregem, sine licentia petita, maxime ubi ob loci distantiam